

August Varenius Jonas Lille

Collegii Isaiani Partis III. Disputatio XIV. De Messia Clamante Frustra Laboravi, De laboribus adeo Messiae Patientis, in officio Prophetico, & Sacerdotali Ex Isaiae Cap. 49. v. 4.

Rostochi[i]: Richelius, 1665


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775787523>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 11. Febr. 1665

Varenius, Aug. /a



COLLEGII ISAIANI
PARTIS III.

DISPUTATIO XIV.

DE
Messia Clamante

FRUSTRA
LABORAVI,

De laboribus adeò MESSIÆ PATI-
ENTIS, in officio Prophetico, & Sacerdotali
Ex Isaia Cap. 49. v. 4.

Quam

כָּשֶׁם יְהוָה הַמְשִׁיעַ

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO,

SS. Theol. D. & Theologo Professore, Consistorii
item Serenissimorum Ducum Assessore,

ad *Καθημερινή* Academicam proponit

JONAS Yille/ Sudermanniâ Svecus.

in Auditorio Academico Mesofelen.

Ad d. XI. Febr. hor. ab 8. matutin.

☞ :) (o) (: ☞


ROSTOCHI,

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

ANNO c1o 1oc LXV.

22

12



1665

17

Sræ. Regiæ Majestatis Regnorumq;
Sveciæ Consiliario intimo & Aulæ Can-
cellario

Illustrissimo atque Excellentissimo

Herôi ac Dno.

DN.

MATTHIÆ
BIÖRENKLOW,


Hæreditario in Elmahof Wannestadt &
Tislinge, Dno. meo gratiosissimo.

Magna tibi debeo, Perillust. Heros Dn. gratiosissime, sed
Exigua (cogit, cujus mihi conscius, impotentia vera fa-
teri) præstare possum; quorum unum & quidem primum
Theologicū specimen, Exercitium præfens non debui non Per-
illust. nomini tuo consecrare. Poscunt hoc à me suo quasi jure
quodam beneficia, quibus, iter in exteras oras, quos jam inco-
lo Deo Duce, meditatus, & jam jam laribus paternis valedictu-
rus ab Excellentia Tuâ Perillust. mactatus, animi grati debi-
tum, quod submissis animi affectu oblatum, ut eo, quo soles vul-
tu gratioso excipias, est quod opere summo contendam. Id si ob-
tinuero, voti mei summam consecutus, habeo quod mihi de tan-
to meorum studiorum Mæcenate atque Patrono summo gra-
tuler etatem. Deum supplex veneror, velit, jubeat Excell.
Tuae salutem, vitam, incolumitatem una cum Illustri Familia
felicissime protegere, prudentia & pace diutissime conservare.

Perillust. Excell. Tuæ.

Humilimus cliens.

Jonas Ville, Sudermannia Svecus,
S. S. Theol. & Philos. Studiosus.



Ad Præstantissimum
DOMINUM
JONAM LILLE/
Sudermanniâ Svecum.

Theologiæ in Universitate nostrâ
Studioſum floridiſſimum
RESPONDENTEM

DE

Summâ PASSIONUM MESSIÆ.

QUæ DOMINUS quondam ſervi ſub ſchemate paſſus
Et dolor eſt mæror, cæloq; ſoloq; ſtupendus
Materies, LILLI, nunc tibi laudis erit
Cerne ævi genium, quàm magno conſtet inani
Multis, quod ſtudioſum non reverenter habent
Quàm pauci de fonte bibunt, Dominiq; loquela
Pulvere quàm denſo ſordida, cerne, jacet!
Ille Prophetarum ter maximus ore Iſſachab
Plangens nunc atro ſyrmate verrit humum
Miratus mentes tam non de Vate calentes
Ignaras ſummi, quod ſuper aſtra, boni.
Tu tibi materiem ſumis doctiſſime LILLI
Quæ brevis, at magni numinis inſtar habet.

Sancta

*Sancta laborantis DOMINI mysteria pandis
Et patientis habes clara Theatra Dei.
Scilicet haut quocquam simulato numine fallit
Impetus ille dolor, sensus & ille dolor
Maximus in primis animæ usq; ad funera, cuius
Nulla satis poterit lingua sonare ~~non~~ S.
Explicuit quondam tumuli mysteria JONAS
Tu, Jona, Jonæ publica signa dabis.
Sic pergas! Dominus concedet ab æthere palmas
Succedant studiis fata serena tuis!*

Celerr. Honori & amori

L. M. Q.

A. Varenius.



MESSIAS CLAMANS: FRUSTRA LABORAVI.

Ex cap. 49. v. 4.

Concl. I.

Post explicatam vocationem nominalem, & consilium circa missionem Messiae primarium, & per hoc, ipsius MESSIAE, ex jure patris, in gente Israelitica personale ministerium in dicto Dei Patris propositum v. 3. sequitur ipsum Messiae dictum, quod partim est, de fructu primariae suae missionis nimis exiguo querentis v. 4. m. 1. partim de officii sui fidelitate ad iudicium divinum protestantis v. 4. m. 2. Dictum querentis est: *Frustra laboravi, vanè & inaniter robur meum consumsi.* Dictum protestantis: *Veruntamen officium meum est cum Domino, & opus meum cum Deo meo.*

Concl. 2. Omnino illud, quod de se frustra laborante, & inaniter ac vanè robur insumente, testatur Orator Christus v. 4. non habet rationem enchymematis correcti per immediatè sequentia in m. 2. ut sit sensus: *Ich dachte zwar/ ich arbeitete vergeblich/ ich brächte meine Kräfte umblonst und unnützlich zu. Aber in der Wahrheit nicht also/ weil mein Recht ist bey dem HErrn etc.* sed rationem dicti affirmantis, seu Messiae, seriò. prævisam frustrationem laboris & consumi roboris in exercitio officii nationalis Prophetici, & quod hinc supponitur, sacerdotii seu operis redemptorii, asseverantis. Neq; verò illud לריק seu frustra, illud item להרהר והבל, seu vanè ac inaniter, intelligendum respectu Patris mittentis, nec Filii patientis: sed respectu consanguineae propriae; ad quam mittebatur, genti, rebellionem & blasphemiam contradictionem opponentis, seipsam indignam aeternà vità & illà gratià decernentis, & excludentis (conf. Act. 13. 45. 46.) Prout Consilium aeternum Dei Patris & illa ἡ ἐπιστήμη θεοῦ cum praescientia Act. 2. 23. de CHRISTO futuro & Sacerdote per proprium sanguinem, & adedò victimà quoque seu agno immaculato, oblaturo seipsum in sacrificium Deo, in odorem bonae fragrantiae Hebr. 9. 11. 12. 1. Petr. 1. 19. 20. Eph. 5. 2. nec fuit לריק nec לריק, sed vanum quid,

Et

vel in

vel in vanum: ita nec executio illius consilii facta in tempore per Messiam laborantem, & robur omne impendentē, fuit vel קִרְר, vel קִרְרָה seu vana & inanis resp. effectus formalis: quia reverà Messias laboravit, verè robur omne infusus, partes officii, juxta regulam voluntatis divinæ, absolutissimè peregit, etsi fuit קִרְר seu in vanum objectivè, resp. externi finis, eventus, & ultimæ efficacix apud illos, seu illis, pro quibus laboravit, & omne robur adusq; mortem crucis impendit, imò pro quibus seipsum אָרְבָּעָה seu pretium redemptionis dedit e. c. Judæis (de quibus hic querela Servatoris)

Concl. 3. Sed nec per hanc clamorem Messix, de se ipso frustra & in vanum laborante, negatur conversio & salus quorundam ex hâc gente, ita ut apud omnes & singulos Judæos frustra & in vanum laboraverit: sed comparativè, notatur convertendorum in comparisonem infidelium tanta paucitas, ut totius gentis Israelis & numerosæ infidelium Judæorum multitudinis respectu, verè dicere poterit Messias ex consilio divino ordinat^o Minister totius circumcisionis, & gloria non unius vel alterius individui: sed totius gentis: *Frustrum laboravi.* Particularis illa reliquiarum salus, non magis hinc obitat querela frustrationis & vanitatis, quàm vel in illo Johannis; *In propria venit, & propriam non receperunt* Joh. 1. 11 sequitur enim statim: *Quotquot eum receperunt* v. 12. vel in illo Pauli: *Israelis facti sunt anathema à Christo, offenderunt in lapidem offendiculum* Rom. c. 9. 3. 32. à quâ rejectione nationali ad rejectionem omnium & singulorum, qui fuerunt in natione, malè inferri, suæ ipsius personæ instantiâ ostendit Paulus Rom. c. 11. 1. ibidem contradistinguens *Israel* reprobatum תְּיָ אֵלֹהִים seu electis in Israele, & reliquiis secundum electionem gratiæ, ac adeò Israelis gentis nomine appellans אֲנֹכִי אֶתְּוֹסֶנְתִּים omnes alios in hâc gente, seu qui longè maximum in hâc gente numerum faciebant, excæcatos. Conf. ad Rom. c. XI. v. 5, 7. Sic in Actibus Apost. c. 13. 46. Paulus & Barnabas, occasione blasphemæ contradictionis Judæorum, à Judæis transeunt ad gentes, & nihilominus non defuerunt Antiochiæ quidam Judæi credentes.

Concl. 4. Nec verò de qualicunq; suo labore Servator hinc loquitur: sed de labore molesto ad lassitudinem vel fatigationem usque, de labore:

labore tali, in quo opus fuerit absolutissima *omnis roboris sui consumptione*: unde illud כחי כליתי & יגעתי. Ita scilicet omnibus viribus ministerio convertendæ gentis impensis laboravit in Israele Messias *Servus Domini*: cui tanto labori comparatus fructus paucissimorum ex illâ gente conversorum, omninò expressit *Servatori* has lacrymas, & querelam: *Frustra ad molestiam usque, ad fatigationem, & omnium virium consumptionem, in hac gente laboravi, ex quâ paucissimos conversum iri, longè plurimos reprobos futuros, meo ministerio magis indurandos, excoetandos, prævideo. Scilicet si modico labori, modicus in gente fructus respondisset, minùs mirum fuerit, nec dicere Servator potuerit, לריק יגעתי, seu in vanum laboravi: nunc, cum longè maximo & molestissimo Messia labori (cui maximus debebatur in gente fructus) adeò tenuis respondeat proventus, omninò, non obstante conversione & salute particulari quorundam, clamare potuit: Frustra laboravi. Sed &, ex hypothese absolutæ prædestinationis, vocationis efficacis nonnisi paucorum ex hâc gente, nec opus fuisset Messia adeò laborante, adeò proprium robor in totam gentem impendente, nec dicere Messias potuisset illud לריק יגעתי, seu, frustra laboravi, quia & in nullo non prædestinato laborasset, & in nullo absolutè prædestinato, redempto, vocato, frustra laborasset, vel laboraturus fuisset! Pulchrè vim illam sermonis Prophetici Chaldaus expressit, reddens: לריקנו לאירי, id est, frustra fatigatus, defessus, molestiâ affectus sum (vel molestum laborem ad fatigationem usq; subij) Porro ללכא ולא מרעם היירי שצירי i. e. in nihilum, & inane foreitudinem meam absolvi (consumsi.)*

Concl. 5. Correspondet egregiè labor hic Messia, forma servi, & ostendit extremum servitutis gradum, ut adeò pulcherrima sit relatio dicti Patris ad Messiam v. 3. & Messia ad Patrem v. 4. Deus ad Messiam dicit: *Tu es servus meus* (in gente scilicet Israeliticâ) Respondet filius: imò *fui servus*, & mensuram servi operosè in hâc gente implevi: in formâ servi יגעתי, seu, non sine maxima molestiâ

laboravi, כָּרַח כְּרִי id est, *absolutissimam virtutem, robor omne consum-*
si. Sed quod dolendum, לִרְיק frustra, לְהַחֵו וְחַבֵּל seu *vane &*
inaniter. Convenit locus insignis c. 43. 24. ubi pariter prædicato
laborandi præmittitur *Character Servi.* Messias primò dicit, se *ser-*
vum, deinde, se *fatigatum*, & quidem, ut impulsivam externam seu
 πνευματικὴν ἐκλήθη exprimat: Tu, ô Israel, *fecisti me servire in peccatis*
tuis: fecisti me molestè & ad lassitudinem usque laborare in iniquitati-
bus tuis. Prout hîc se appellat *SERVUM fatigatum:* ita ibi *servum*
factum, lassitudine affectum הַעֲבַרְתָּנִי הוֹבְעָתָנִי.

Concl. 6. Messiam ad lassitudinem & molestiam usque *labo-*
rantem & absolutissimum robor impendentem, ostendere licet in
 officio sacerdotali, quando e. c. (1) in arâ terrenâ, seu *horro*, animam
 sibi circumquaq; tristem magnâ voce testatus cœpit λυπεῖται, ἀδη-
 μυνεῖν, ἐπὶ ἀγωνίᾳ εἰς αὐτὸν, quando in *agone* illo ineffabili, Angelicâ *con-*
firmatione inexplicabili, ipse *Angelorum Dominus* sustentandus
 fuit, quando *labor ille lacrymas & preces* vehementissimas, & ferven-
 tissimo *preparatori*, θρόμβος αἵματος id est, *grumos*, seu *frusta concreti*
 in unam *massam sanguinis* (prout enim *Svidas* θρόμβος αἵματος dicit
 scribit πυχῆς ἀλας, seu *salem crassum:* ita rectè *Hesychio* θρόμβος
 αἵματος sunt ipsum αἷμα παχὺ πηπηγὸς ὡς βροῖ: atque adeò non
 gutta: sed *grumi sanguinis* ex *terrore concreti*, ut prout *θρόμ-*
βωσι datur in *lacte*, ubi hoc in *mammis densatum* in *exigua frusta*
concrevit: ita *θρόμβωσι* in *sanguine*, cum à *venis suis effusus*, hic & in
 vicina *spatia abscedens*, *similiter coit*, atque *condensatur:* & ipse adeò
sanguis Jesu verè sanguis, & verè *θρόμβωειδὲς αἷμα*, s. *habens grumorū*
speciem expressit Luc. 22. 43. 44. Hebr. 5. 7. quando (2) in arâ lapideâ,
 Palatio scil. Pontificali, & Prætorio Pilati *παπίσμοτο*, vincula, sputa
 flagella, coronam spineam, blasphemias contradictiones, mille lu-
 dibria, patiens, ad instar *agni ad macerationem ducti*, & *obmutescens*
coram tormentibus, sustinuit, & ipse suæ crucis bajulus per portam
 Hierosolymitanam totus cruentus, & sub ipsâ mole ligni crucis, i-
 pso succiduo poplite *fatigationem* testatus, extra castra, velut *agnus*
portans peccata mundi, processit Conf. Matth. 26. & 27. Luc. 23. Heb.
 c. 12, 2.

c. 12, 2. 3. c. 13, 11. 12. quando (3) in arâ lignea pro nobis factus *maledictus* seu *κατάρα*, sub illâ ira, maledictionis & iudicii Dei experientia clamavit se *derelictum*, quando ipsam *animam* in *OVN* seu *sacrificium pro reatu posuit*, & in valido boatu, *omnia esse consumata*, expiravit, Galat. 3, 10. 13. Jes. 52. 10. Marc. 15, 37. Joh. 19, 28. & 30. Conf. etiam de *consumto robore Messie patientis* Psal. 22, 15. 16. 17. 18.

Concl. 7. Facit hoc tum contra defensores à *παθείας* veteres quos inter eminet *Hilarius* (occasione argumenti hæretici; in *quemcumq;* cadit *passionis metus, & infirmitas, is non est in natura impassibilis Dei*. Atque in *Christum* &c. E. in quo, cum concessâ minore neganda fuisset major, ille concessâ majore, ne Hæreticis Arianis dare cogereetur conclusionem, negavit minorem) prolapsus in thesin hanc: *In Christum nec incidit infirmitas de se metuendi, nec dolendi*: cumq; hîc in promptu adversariis essent loca de *Servatore calicem deprecante, mœrente, animam πικρῶν* querulâ voce testante, *derelictum* se clamante; itum inde in prodigiosa illa interpretamenta: *Timuisse Christum non pro se: sed pro Discipulis abnegaturis, pro Judæis in illâ nocte gravissimè peccaturis, petiisse transfutum calicis à se ad discipulos, ut sicut ipse alacriter illum bibiturus erat: ita & Apostoli: non tristatum esse: sed cœpisse tritari* (inter quæ multum interesse notavit jam olim *Origenes*, usq; adeo ut ex illo ἡρξάτο λυπέσθαι, ἡρξάτο ἐκθαμβεῖσθαι Matth. 26, 37 Marc. 14, 33 igno- rato *Idiotismo* illo linguæ sacro, explicare voluerit omnia, in quibus mentio *mœrorū* vel *tristitie* Jesu, de solo principio & quodâ quasi prægusto *tristitie* sc. *nihil tristitie vel pavoris passum esse Christum, præter ipsum principium*, Conf. *Origen*. in c. 26 Matth.) *Clamorem Christi in cruce se derelictum clamantis intelligendum de dissidio verbi Dei à se recedentis* (quod nisi explicatione pari mitigetur, quâ sententiam *Ambrosii* de separatione divinitatis *Lombardus* l. 3. d. 21. *separavit se divinitas, quia subtraxit protectionem: sed non solvit unionem*, aperte hæreticum) itum inde in distinctiones illas mysterio indignas inter *πενθήσασαι* & *παθεῖν*, inter *impetum passionis* & *dolorem passionis*, quomodo telo penetrante per aera datur quidem *impetus*: sed non *dolor*. in *transitu*. Licet autem *Bonavent.* al-

legato Gulielmo Parisiensi, ab ipso Hilario retractatum scribat errorem, & Calvinus l. 2. Instit. c. 16. n. 11. pro ipso *pœnarum infernalium experimento* Hilarium allegaverit, quæ Bell. l. 4. de *Christi animâ* c. 8. eo nomine non immeritò miratur, erravit tamen: nec apparet satis, errorem materialiter hæreticum abs Hilario retractatum.

Concl. 8. Pro *ἀναβία* illâ triplex imprimis argumentum Hilarii fuit, unum ab excellentiâ naturæ corporis Dominici (sed quod ex voluntariâ *κρῶσι* *formâ servi*, *Si bematè* hominis, *similitudine carnis*, sine incarnationis, infallibilitate Propheticæ prædictionis, facilis expeditionis est vid. Phil. 2, 7. 8. Rom. 8, 3. Hebr. 2, 17. 18. c. 4, 15. Matth. 26, 54.) secundum, quod ex falsâ processit hypothesi passionis corporalis tantum, & mortis Christi nō consideratæ supra conditionē mortis aliorum Martyrum, unde illa argumenta: *Quicumq; ab Apostolis errorem mortis propellens ad gloriam illos Martyrj est adhortatus, is mori non timuit. Christus. E. Qui ipse monuit, non timendos qui corpus occiderent, illum à timore passionis corporalis mors non exterruit. Si pro Christo mori, vita est. E. ipse in mortis Sacramento nihil timuit* (sed quam hypothesin Servator in cruce *Φωνῆ μερῶ λη ἀναβίωσις* illud *ἦν*, & testatus se à Deo derelictum confutat) tertium ab exercitiō potestatis. Scil. (argumentatus est Hilarius) potestatis sua libertate moriturus, dolorem mortis timere non potuit. Cæterum quicquid sit de doloribus mortis, quorum, non autem inferni dolorum, mentio in Actibus cap. 2. vers. 24. de puncto solutionis, dando, sive ante sive post mortem, ab autoritativâ libertate expiationis, ad negationem dolorosæ passionis, & adeò verissimi mœroris & anxietatis non V. C. Sed nec à negatione timoris in instanti mortis, ad negationem timoris ante instantis mortis, nec à negatione formidatæ mortis, ad negationem formidinis & sensus dolorifici aliarum ineffabilem passionum, quas animâ & corpore expertus est Servator, valet illatio. Potuit Christus mortem illam seu *παράδοσιν* futuram Spiritus (Joh. 19, 30.) illam *ἐκπνευσιν* seu *expiracionem* (Marci c. 15, 37.) non timere, & nihilominus *ἀδυνασῶν*, pavere, consternari, & tristis esse usque ad mortem: quin hoc ipsum argumentū autoritative

tiva & liberrimæ expirationis monere debuisset Hilarium, de sublimioribus causis mœroris Christi ipsam mortem antecedentibus, & ibi consumatis, ubi αὐτοῖς Φωνὴν μεγάλην clamavit illud: *πάτερ* Marc. 15, 37. Apparet inde, quid iudicii de Hilario, quem *Doctorum maximum*, & *Ecclesie Catholicae columnam merito habitum* non malè ponit Bellarm. l. de scriptoribus Ecclesiast: sine ullâ tanti & aliorum in hoc Patre errorum mentione. Vid. Hilar. lib. 10. de Trin. p. 200, 205. Can. 31. in Matth. p. 598. (cui consona in hypothesibus & interpretationibus alicubi habent Origenes, Hieronymus, Theophylactus.)

Concl. 9. Favet Hilarianismo illi Papismus, hilarem, quietamq; Christo patienti *animam*, nec nisi in parte inferiore *sensitiva*, respectue xternorum tormentorum & mortis corporalis mœstam, tribuens, ultra hos autem dolores, experientiam iræ divinæ & infernalium dolorum usque ad eò negans, ut Bellarminus etiam *novam* & *inauditam impietatem* appellare non dubitaverit dogma, quo dicatur Christus Deum apprehendisse, *tanquam fibrinatum* & *inensum* propter nos, *coram tribunali Dei comparuisse*, *tanquam reus aeternæ mortis*, *sustinuisse iudicium irati Dei*, *expertus dolores infernales*, *colluctatus cum tentatione de desertione*. vid. id. l. 4. de Chr. an. c. 8. juxta quos ad eò mœror ille & *timor Jesu patientis* ad eò decantatus in historia passionis Matt. 26, 37-38. Marc. 14, 33. Luc. 22, 42. 43. 44. explicatur, quatenus non obstupescuit sensum suum, nec permisit, ut ex parte superiore in inferiorem redundaret gaudium, quatenus non avertit cogitationem à morte imminente: sed potius de industria defixit mentem in omnia impendentia tormenta. Ita Lira in c. 26. Matth. *Anxietas illa in Christo erat ex apprehensione mortis acerbissima sibi de proximo imminente*, & *adeo adendum impossibilis*. Quia sciebat hoc esse determinatum à Deo Patre, à cuius determinatione, non poterit declinare, cum non posset peccare. Et pars sensitiva non alleviatur à tali anxietate ex contemplatione divinæ essentie seu promittudine voluntatis, quæ erat in superiori parte anima, quia divinâ virtute fiebat, ut ex superiore parte anima non fieret influentia in inferiorem. Ut sic esset ibi dolor sensitivus maximus ad nostram redemptionem. Ita idem in Luc. c. 22. non agno-

agnoscit in Christo patiente *tristitiam*, nisi *insurgentem* in parte *sensitiva* ex apprehensione mortis imminenti, contra quam solam confortatus fuerit ab Angelo in illâ *agoniâ*: nec per hanc intellexit nisi *reluctationem* sensualitatis mortem horrentis, & rationis ipsam accipiantis, quia virtute divinâ qualibet pars permittebatur agere & pati, quod erat sibi proprium: atque ex *vehementi* illa *sensualitatis* anxietate fiebat, ut non solum humores exirent per sudorem: sed cum hoc aliquid de sanguine humorem tingente. Ita Pontificii, ἀδνησίας illius inexplicabilis, anima περιλύπη seu undiquaq; tristis, ἀγωνίας illius *vehementis* (in quâ Christus ter, poplite succiduo precat, & deprecatur calcem ἐν δουρατῶν & ἐν ἑσάλει, & contra illam colluctatur deprecationem, additâ voce: *Non mea: sed tua voluntas fiat!*) Angelicæ confirmationis, lacrymarum Christi patientis, sanguinei sudoris, quere læ divine derelictionis, anima laborantis, robur omne consumentis, frigidum nimis interpretes tantum de magnitudine redemptionis, ipsosq; pretio deminuentes, quantum de *pænis* Christo loco generis humani inflictis, & per has de *doloribus* Christi patientis, ac porro per hos dolores de *mæroribus* illis & pavoribus, seu *tristitia* anima Jesu, intercipiunt.

Concl. 10. Nec apparet, quomodo, sive soli fuga mortis corporalis & externorum cruciatuum correspondeat ingens adeo consternatio, mæror Christi Dei fortis robusti, de resurrectione gloriosa post triduum securi: sive illi *agoniâ*, lacrymabili elegiæ, mærori, sanguineo sudori, cæterisq; ante Judam osculantem, Caipbã damnantem, Pilatum flagellantem, Prætorianum militem coronantem, & crucifigentem, in horto peractis, experientia doloris, seu tristitiæ in sola parte *sensitiva*, ut, vel in simulacrum passionis abeant illa principalissima historię Jesu patientis argumenta, vel, danda quoque sit præter illos cruciatus & mortem corporis, longe majoris coram *judicio* divino *passionis*, in ipsa quoq; parte superiore, experientia, & adeo anima Messie in ingenti consternatione & magnâ cum consternatione, cum tentatione derelictionis, *luctâ*, cujus utriusq; & Mæroris anima sanctissimæ & incomparabilis *luctæ* signa & in sudore sanguineo, in præcū incipientium ab Ἀβελῶ, ὁ πατήρ, formulâ. Stabat sc. tunc coram *judicio* divino
velut

Velut reus omnium criminum læsæ majestatis divinæ, velut ἐπιμαρτυρῶν, seu pro nobis κηρύττης factus, velut agnus Dei portans peccata mundi Marc. 14. 36. Luc. 22, 44. Joh. 1, 29. Rom. 15, 3. Gal. 3, 13. quæ omnia & Isaias c. 53, 3. 4. 5. 6. 7. 10. 11. clarè satis explicat, & ipse testatur *boatus* pendentis in cruce Christi, πρὸς τὸ θυσιάζειν (ἸΝ ἸΝ) Φωνὴ μαρτύριον ἀναβοήτων. Se à Deo forti derelictum: vid. Matth. 27, 46. Hebr. 5, 7. unde & Bellarminus ipse l. alleg. concedit pertulisse Christum gravissimos dolores, adeò ut Deus dereliquerit humanitatem in pœnis, & cum potuisset eam eripere, noluerit, ut sacrificium perficeretur, quo mundus redimendus erat: cœterùm illos dolores non profectos à maledictione & irâ Dei. At sensus Dei derelinquentis in pœnis, & cum eripere posset, nolentis, ipsa pœna infernalis est, quam adeò vere nostro loco sustinuerit Christus *patiens*. Omnino vel abnegandus summus ille mœror, & dolor Christi patientis, vel hypothesis illa Papiistica de solâ mortis & cruciatuum corporis fugâ, & anxietate nonnisi in parte sensitivâ.

Concl. II. Quin ex hypothesi illâ Pontificiorum, stat inventum argumentum Hilarii: *Quicumq; ab Apostolis terrorem mortis propellens, eos ad gloriam martyrii & ad non timendum illos, quia corpus occiderent, est adhortatus, is mori non timuit nec doluit.* Christus &c. E. vel: *Martyres in passionibus mortis exultarunt, vel saltem mortem non timuerunt.* E. vel Christus solam mortem corporis non timuit: vel ipsis Martyribus infirmior fuit; & sic abnegatâ veritate mœroris, abnegatur dolor passionis, & magna pars vicariæ & plenariæ Jesu Christi satisfactionis. Quicquid hîc excipitur à Bellarmino, non liberat causam Pontificiorum. Scil. *Christum non ita timuisse, ut non potuerit non timere: sed timuisse, quia timere seu penam mœroris & timoris subire voluit, cujus causâ non permisit gaudium ex superiore parte redundare in inferiorem, non averterit cogitationem, à morte imminente: sed potius de industriâ defixerit mentem in omnia tormenta impendentia.* Verus timor non definitur ex solâ voluntate timentis. Timor sine objecto verè formidabili, velle timere quod non est timendum, simulacrum timoris vel vanus & inordinatus timor est, qui non cadit in Christum patientem, etsi in hunc cadere potuerunt contrarii

Ff

motus

motus. Apostolus Martyr non saltem potest *non timere*: sed &, ex hypothesi divinæ confirmationis, vel illuminationis *juste non timet*: quod si de facto *timeat* vel *timere velit*, carnis hoc est, & *inordinatio- nis*, quæ nihil in Christo, qui si non justè timuit, nec timere potuit nec voluit. Objectū formidabile verè tale ab intellectu apprehen- sum causa est & *timendi* & *ob timorem dolendi*: quod si non esse po- tuit sive *mors*, sive *cruciatu externus*, dandum omninò formidabilius objectum Christo patienti. Et quàm absurdum illud? Christus dici- tur *cæpisse*, non tantum *λυπεῖσθαι* seu *contristari* Matth. 26, 37. sed & *ἀδμονεῖν*, imò *ἐκθαμβεῖσθαι* Marc. 14, 13. id est, gravissimè *angi*, hor- ribiliter *expavescere*, penè *exanimari*: Quare illud? quia sic voluit, & propterea quia sic voluit, *influxum in sensitivam suspendit*, cogitationes *in tormenta* & *mortem corporis defixit*. Quomodo illud? *scil. Mens quidem*, seu, *rationalis anima extra anxietatem fuit*. Sed *inferior facultas anxietati permessa*. At propter solam voluntatem, & sensitivam laborantem, animâ gaudente, nemo dici potest *λυπεῖσθαι*, *ἀδμονεῖν*, *ἐκθαμβεῖσθαι*.

Concl. 12. Non quaritur, annon potuerit *mors Christi in cruce*, abstracta à sensu iræ divinæ & pœnarum infernalium & à tali adeò, *ἀδμονεῖα* vel *ἀγωνεῖα*, esse *ἰσὺροπον λύτρωσιν*: sed, an *juxta consilium Dei revelatum*, sive, ita abstracta esse debuerit? sive, etsi non abstra- cta, sola tamen redemptionis pretium esse potuerit, ita ut super- fluum fuerit, quicquid ultra illa Christus sustinuit? Aff. 1. N. 2. Aliud est loqui de satisfactione Christi consideratâ in relatione ad solam *culpam*, & *absolutam efficaciam*: aliud, in respectu compa- rativo *culpe ad justitiam divinam*, juxta *voluntatem revelatam*: quo posteriori respectu *superfluum* in passionibus Christi negatur, prout superabundans priori respectu (vid. Rom. 5, 15.) affirmatur. In ordine ad *sapientiam* & *justitiam divinam* nulla particula actio- num & passionum Christi, nullum *ῥέπισμα*, nullum ludibrium, nullum vulnus, nullus ictus, nullus nodus superfluum quid habuit: Scriptura, omnia & singula τῶν *πρωμάτων* Christi (quorum scruta- tores fuerunt propheta i. Pet. 1, 11.) refert non solum *πρὸς τὸ μέλ- λον*, seu *ad certò futura*: sed etiam *πρὸς τὸ δέον*, *πρὸς τὸ ἰσχυ- ρόν*.

piēva, seu ex certâ ordinatione & decreto Dei necessaria, Marci 10, 32
 Luc. 22, v. 22. Act. c. 2, 23 c. 4, 28. Matth. 26, 54. Luc. 24, 26. 46.
 Quod si gradus illi minores, ipsâq; circumstantiâ passionis non
 fuerunt supervacaneæ, multò minùs illæ *summi gradus* passiones, quas
 ipsa *sanctissima Christi anima* coram tribunali divino experta sustinuit,
 c. c. ingens ille *mœror*, *agonia*, *sudor sanguineus*, *lucta cum despera-*
tione seu divinâ derelictione, quicquam habuerunt superflui: sed
 pertinuerunt æqvè ad illa *ὠχρῶμα* seu *τὸ δέον*, & proinde quo-
 que ad prædicta seu *τὸ μέλλον*, Psal. 18, 5. 6. Pl. 22, 1. 2.

Concl. 13. Pulchrè Leo M. Serm. de nativ. Christi: *Venax mi-*
sericordia, cum ad reparandum genus humanum ineffabiliter multum ei
 suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit, quâ ad destruendum
 opus Diaboli non virtute uteretur potentia: sed ratione justitiæ. Scilicet
 tale debuit esse remedium, in quo summum esset Theatrum divinæ
misericordiæ, *sapientiæ* & *justitiæ*, quale conspicuum est in iplo uni-
 genito Dei Filio *serviente*, ipsâ animâ ad mortem usq; *mœrente*, ad lassit-
 tudinem usque laborante, robur omne nostræ redemptioni impendente.
 Quantum hîc subtrahitur passionum Christi indicula, tantum adi-
 mitur *ἀντὶ* nostro & conscientiarum in tentationibus anima-
 rum firmamento. Minùs scil. his Christus contulisset, si in ipsâ
 sanctissimâ animâ extra ignita Diaboli tela positus, & tentatio-
 num inexpertus, nonnisi in sensitivâ inferiore seu affectibus & sensi-
 bus passiones omnes absolvisset: nec fuisset, ille *ἀπαρξέμενος*, qui
 ut *compati sciret* tentatis, ipse tentationes omnes nostras experiri
 & pati debuit Hebr. 4, 15. 16. c. 2, 18. Quod tandem post Damasc.
 ex ipsis Pontificiis Thomas, Cajetanus, Pererius, Sixtus Senensis,
 Jansenius, Maldonatus, meliori parte agnoscunt.

Concl. 14. Licet hîc observare circulum Pontificiorum, qui
 cum præter hypotheses alias de Christo Mediatore secundum solam hu-
 manitatem, de non communicata carni divinâ majestate (in quo illos
 ipsos, qui Romano Pontifici sunt addicti, secum orthodoxos, tales scil.
 qualis ipse, gloriatur Beza resp. ad Acta p. 122.) hîc quoque per hy-
 pothesin duplicem scil. (1) passionum nonnisi inferiorum, (2) anima
quiescens, ipsiusq; Christi, sine ullâ divinitatis imò & animæ partici-
 patione

patione, non nisi in parte sensitivâ *cruciatu corporis*, quorundam Martyrum (non negante id Thoma) cruciatibus & extensivè & intensivè inferiores sustinentis, satisfactionis Christi *Bath* revera vehementer exhauriant, superabundantis tamen satisfactionis & redemptionis Professores videri volunt (etsi hanc quoque tum virtute *hypothesium* superiorum, tum illarum quæ ex articulo de justitiâ & peccato originali profluunt, revera destruunt) usque adeo, ut, *vel una gutta sanguinis sufficiens fuerit mille mundis redimendis: & adeo longè maximus sanguinis thesaurus superfluus: atque iterum, non obstante tanto & gutta unius & superflui præconio, ab hoc ipso conclament ad supplementum passionis Martyrum, quod ultra & guttulam & superfluum sanguinis Christi influat, & ipsius passionis Christi defectus suppleat, pro quo supplemento probando vim patitur locus imprimis Paulinus Coloss. 1, 24.*

Concl. 15. Apparet faciliè, quorsum tendat in scholâ Papiasticâ dogma de *unius gutta sanguinis ad placandam infinitam Dei iram sufficientiâ*, ut scilicet dum sic amplissimum sanguinis, passionum, & satisfactionum Christi superfluum relinquitur, ex hoc, ipsi *thesauro indulgentiarum* Romano, & Simonix Romanæ benè consulatur, unde porro ad relaxationem pœnarum temporalium in & post hanc vitam peccatis debitarum, ipse Christi & aliorum Martyrum sanguis applicetur. Conf. Clem. cap. unig. Extrav. de pœn. & remiss. Cajet. Tom. 1. tr. 9. Bell. l. 1. de indulg. cap. 2. pag. 3. cap. 8. vers. 1. Ponatur autem, ita de superfluo rem habere (etsi nefas *justitiæ infinite* modum pœnarum ponere, & ubi non saltem scripturæ lux nulla præfulget: sed & clarissimè constat, *omnem Christi sanguinem fuisse deorum deorum*, tale quid definire) quid inde pro R. Pontifice, & lacculo indulgentiarum ecclesiæ Romanæ? Unde probabitur tali usui indulgentiarum venalium, Jubilæorum, dedicatum donatumque hoc superfluum?

Concl. 16. Addimus, quæ in argumento superiori pulchra Brentius olim notavit Exeg. in Joh. p. 328 *Quid, inquit, est, quod Christus se derelictum clamavit, qui tamen Dei naturalis filius fuit? Et cur desperat, qui est unica spes nostra? Respondet (1) vocem illam fuisse non solius oris: sed & cordis (2) derelinqui à Deo, idem, quod esse in summo mœrore, inferno*

inferno & omni malo. 3. Christum in illâ horâ exiisse Deum (prout olim Brutus, ut Consulem ageret, exiit Patrem & Josephus Fratrem, ut ageret Tyrannum, celsi adfectu in fratres amicitissimo) non abjiciendo: sed non sentiendo. 4. Cum omnes homines naturâ suâ comprehensi sint in desperatione, Christum in hanc ex merâ misericordiâ se coniecisse, non, ut ipse natarâ suâ quâ & Filius Dei erat, & in formâ Dei, desperaret: sed ut acceptam à nobis desperationem & in seipsum translata[m] VINCERET. Christus stipendium & meritum peccatorum in se transferens, horrorem horrore, infernum inferno, desperationem desperatione, Satanam Satanâ, vicit, & quod pulcherrimum victoria genus est, hostem suo gladio jugulavit. Non voluit Brentius, Christum, in cruce, de gratiâ divinâ, de beatitudine & gloriâ desperavisse: sed apprehensionem saltem & experientiam illam plenariam gratiâ, gaudii, status beatitudinis ad tempus, succedente, sine diffidentiâ, apprehensione Dei verè ad brevè tempus derelinquentis, Patre ita exigente, & Christo volente suspensam, & ita nostrâ in inferno infinitâ derelictione & ex derelictione desperatione compensatam superatam quæ fuisse. Nec ad eò in reipsâ quicquam, in his & similibus Brentii improbandû. Constabit autem ex superioribus, quomodo illud *כְּלִי כֶּחֶץ* & *יָגֵעַ*, seu operosissimus ille labor Messia & consumptio virium in ipso quoque officio sacerdotali, luculentum habuerit complementum: & quomodo ipsorum Judæorum seu gentis consanguineæ respectu, quem peculiarem, prout in consilio applicationis: ita & impetrationis negare haut licet, salvâ tamen universalitate intentionis Matth. 26, 31. Joh. 11, 52. etiam hic Servator, sive prævidens sive ex ipso jam eventu agnoscens illam passionis, & mortis suæ fragrantiam inprimis consanguineæ genti, imò ipsi Discipulo proditori futuram odorem mortis ad mortem, dolorosè lamentari potuerit illud: *Frustra laboravi: vanè & inaniter vires consumpsi.*

Concl. 17. Prout tamen in dicto Patris, imposita Messia *servitium* in Israeliticâ gente, ita hic labor & hæc consumptio virium directè respicit ad officium Christi Propheticum, & ex peculiari gentis quæ in ordine ad alias gentes habebat se, velut filij ad canes Matt. 15, 26. & cui ad eò primariò offerendi erant panes, privilegio, personali & in-

lis & incomparabilis Messiaë ministerii; & post illud personale ministerium, quoque *primitatis* vel *ordinis* beneficium. Licet in *curriculo* illo Christi Prophetico personali, quod baptismo Johannis & morte crucis circumscribitur, & *laborantem* Christum, tum *δημοσίᾳ* seu publicè in populo vel cœtu e. c. Synagogis, tum *ἰδιωτικῶς* seu apud singulares e. c. Nicodemum, Samaritanam &c. & 2. molestissimè *fatigatum* Christum totumque *robur consumentem*, & 3. *frustra vanè ac inaniter* in Judaicâ gente ad eò ad lassitudinem usque laborantem, pari facilitate, ex Historiâ Evangelicâ multipliciter ostendere. Breviarium *laborum* Messiaë in hoc *curriculo* (quod doctrinâ, baptismo, miraculis, & miraculo præstitis beneficiis ac ingratae gentis maleficiis absolvitur) Petrus expressit in Actibus c. 10, 37. Exegesi pleniorè historicam operosi illius Messiaë in orbe Judæorum *curriculi*, quod distinguitur Johannis Baptistæ *incarceratione*, reliquerunt 4. Evangelistæ. Scil. Historiam *laborum* Christi *ante* Johannis *incarcerationem* unus Johannes descripsit, eandemque quoad acta Messiaë, sive in *Judæâ* strictè sic dicta c. 1. à v. 29. c. 2. à v. 13. ad v. 3. c. 4. & toto c. 5. sive *Samariâ* cap. 4. ad v. 43. sive *Galiliâ* c. 2. à v. 1. ad 13. c. 4. à v. 43. ad finem. Labores Christi post *incarcerationem* Baptistæ, IV. Evangelistæ expresserunt, Matth. à c. 4. v. 12. ad cap. 28. Marc. à c. 1. v. 14. ad usque cap. 16. Lucas à c. 4. 14. 15. 16. ad usque cap. 24. Johannes à c. 6. ad c. 20.

Concl. 18. *Fatigatum* in hoc *curriculo*, & *non sine molestiâ*, quam vehementer auxit propriae gentis perveracia, ad *lassitudinem usque laborantem* Christum ostendere licet, ex eadem historiâ in itinere Samaritano Joh. 4, 6. in Dæmoniaco curato Matt. 12. à v. 22, ad f. in judicio propinquorum ecstático Marc. 3, 20. 21. ex *fremitu Spiritus*, quando in ipso Spiritu fremuisse & *seipsum turbavisse* vel turbatus esse memoratur Joh. 11, 33. Joh. 13, 21. ex lacrymis Christi Hierosolymitanis Luc. 19, 41. 42. ex concionibus Jesu Sabbatinis & disputationibus festis cum Judæis in templo Joh. 7, 7, 14. & seqq. c. 8. c. 10, 22. Marc. c. 11. à v. 11. ad 25. Matt. 21, 22. & in primis 23. capp. imò vel ex ipsâ passionis historia, quæ tum in horto Joh. 18, 5. 7. 8. tum in Synedrio Matth. 26, 64. tum in ipso crucis suggesto, per illa 7. *Apophteg-*

pophlegmata, abs Evangelistis velut verissimas Crucifixi reliquias notata, confessionis Apostolum & magnum Prophetam, ipsis lapidibus & saxis clamantibus, copiosè factis designat. Tùm sc. eminentissimè dicere poterat כחי כליתי יגעת id est, operosè ad *lassitudinem usque laboravi*, curriculum meum Propheticum exegi, *omne robur meum* Judaicæ gentis salutem *consumatus sumè impendi*.

Concl. 19. Sed nec minus inde legitimare licet, quod Servator clamat: se tantum laborem impendisse לריק seu *frustrum*, & quoad maximam gentis partem, לתרו וחרל f. *vanè & inaniter*. Acclamat Servator ipsi *Jerusalem* bis ad significandum πῶς appellatæ illud patheticum: QVOTIES VOLUI congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & NOLUISTIS. Matt. 23, 37. Testatus Servator lacrymis in ipsius metropolis conspectu inter piorum jubila fuis, quàm *frustrum* tantus in hac gente sibi labor fuerit, cum ne nunc quidem ipsa agnosceret, quæ ad suam cum Deo pacem facere & imminens anathema vel excidium avertere possent, & clamaturis lapidibus, ipsa non saltem non loqueretur Messiam: sed & loquentibus imperaret *silentium* Luc. 19, 37. 39. 40. 42. Quia non saltem noluerint simplici *noluntate*, vel etiam *resistentia naturali*: sed & congregationis sericæ θεουβρωσις voluntati, ipsi velut cæstro furoris perciti, partim hypocrisis velatam & mentalem Matt. 9, 3. Marc. 3, 2 partim crassam & vocalem *blasphemiam* peccando in S. Spiritum Marc. 3, 29. 30. opposuerint, miracula, summa DEI opera, Diabolo adscripserint, etsi inter se divisi, tamen contra Christum ad consilium sanguinis conspiraverint Matt. 22, 16. 23. 34. Marc. 1, 6. atq; ita Christo congregare volente, ipsi ex ovibus Christi non esse, non audire: sed Spiritui S. resistere & dispergi magno blasphemoq; conatu voluerint.

Concl. 20. Inde *vultus* ille Servatoris non Socraticus: Sed qualem formabat *ira & doloris*, ob prodigiosam πῶς popularium, affectus Marc. 3, 5. & qualem merebantur illi serpentes & progenies viperarum Matt. 12, 31. 34. 39. c. 23, 33. Inde responsum illud prosecutu peccati in Spiritum S. Matt. 12, 31. Marc. 3, 29. 30. & de damnatione

zionis sententiâ in Judæos pronuntiandâ à Ninevitis & Regina Aſſiri Matt. 12, 41. 42. Nec ſaltem promiſcûæ genti *frustra* fuit labor Meſſiæ: ſed & iſtis *Discipulis* longè plurimis, in ipſo conſpectu Chriſti factis *Apoſtatis* Joh. 6, 60. 66. ipſi *Jude* commilitoni *filio perditionis* Joh. 17, 12: ipſis inprimis proximis *popularibus Nazarenis* Matth. 13, 54. 57. 58. Luc. 4, 24. 28. 29. 30. quin illis ipſis apud quos maximè laboraverat, & copioſius etiâ *virtutes admirandas* ediderat, e. c. civibus *Bethſaide, Capernaum*, præ quibus, ipſos *Sodomitas*, velut ex hypotheſi tantæ olim gratiæ oblatae non futuros rebelles, *tolerabilius* *judicium experturos*, pronuntiat Matt. 11, 20. 21. 22. 23. 24. Et *ordinata* *quidem* *voluntati Dei & Chriſti* oppoſitâ rebellionem *reſiſtere* potuerunt: ſed non evertere finem illius volitionis Dei, quæ ex præviſione talis rebellionis & neglecti rationarii temporum ſuæ *viſitationis*, illis *domum finaliter deſolatam*, *excidium, Ve*, vel *anathema*; & *exitium æternum* decernit, ipſo Chriſto *mei ὄργης καὶ λύπης* illud poſt *frustratos* tantos in hæc gente labores intimante Matt. 23, 31. 32. 33. 38. Marc. 3, 5. Luc. 19, 42. 43. c. 23. 29. & cum proteſtatione de *absolutiſſima* commiſſi ſibi miniſterii conſumatione, illos *inexcusabiles* pronuntiante: *Si non veniſſem & locutus ad illos fuiſſem, ſi non illa opera inter eos feciſſem, quæ nullus unquam alius patravit, peccatum non haberent: nunc autem, poſtquam audiverunt, & opera tam admiranda viderunt, & oderunt me ac Patrem meum, prætextum ſui peccati nullum habent.* Joh. 15-22. 24.

Concl. 21. Apparet, quomodo in illo miniſterio personali Prophetico, quod in morte crucis deſinit, Servator proclamare potuerit: *Fruſtra, in vanum & inane ad eò laboravi, & robur conſuſi.* Nec deſuit quidem in illa quadragenâ dierum inter *reſurrectionem*, & *anſenſionem* partibus officii Prophetici: cœterum, quas immediatè non impendit illis rebellibus, *congregari nolentibus*: ſed tantùm *parvulis* *antea percuffo* *paſtore* *diſperſis*, iterum congregandis Sach. 13, 7.

Unde nec apparuit omni populo: ſed præordinatis à Deo *reſiſtibus reſurrectionis futuris.* Act. 10, 39. 41.

ORATIO I
pophetgmata, abs Evangelistis velut
notata, confessionis Apostolum & m
pidibus & saxis clamantibus, copiose
nentissimè dicere poterat כליתי יגער
tudinem usque laboravi, curriculum m
manerobur meum Judaicæ gentis saluti

Concl. 19. Sed nec minus inde leg
clamat: se tantum laborem impendi
maximâ gentis partē, לתרו ודבר. s. va
vator ipsi Jerusalem bis ad significandu
theticum: QVOTIES VOLUI congre
dum gallina congregat pullos suos sub alas,
Testatus Servator lacrymis in ipsius
piorum jubila fuis, quam frustra tant
rit, cum ne nunc quidem ipsa agnosce
pacem facere & imminens anathema v
& clamaturis lapidibus, ipsa non salte
sed & loquentibus imperaret silentium
non saltem noluerint simplici volun
nili: sed & congregationis seria thra
castro furoris perciti, partim hypocrisi
9.3. Marc. 3, 2 partim crassam & voc
in S. Spiritum Marc. 3, 29. 30. opposue
opera, Diabolo adscripserint, etsi in
Christum ad consilium sanguinis conf
Marc. 1, 6. atq; ita Christo congregare v
non esse, non audire: sed Spiritui S. rej
sphemodq; conatu voluerint.

Concl. 20. Inde vultus ille Serv
qvalem formabat ira & doloris, ob pro
m, affectus Marc. 3, 5. & qvalem mere
nies viperarum Matt. 12, 31, 34. 39. c. 23,
scatu peccati in Spiritum S. Matt. 12, 31

227
cifixi reliquias
eram, ipsis la
Tum sc. emi
erosè ad lasse
cum exegi, o
impendi.
quod Servator
fism, & qvoad
Acclamat Ser
llatæ illud pa
os, quem admo
S. Matt. 23, 37.
onspectu inter
sibi labor fue
nam cum Deo
ertere possent,
etur Messiam:
40. 42. Quin
essentia natu
ati, ipsi velut
ntalem Matt.
iam peccando
a, summa DEI
amen contra
t. 22, 16. 23. 34.
ovibus Christi
i magno bla
craticus: Sed
onv populari
entes & proge
sum illud pro
, & de damna
tionis

